NATALEM

LUDOVICI GUILIELMI AUGUSTI

MAGNI BADENSIUM DUCIS

RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI

AD DIEM IX. FEBRUARII

RITE PIEQUE CELEBRANDUM INDICIT

ACADEMIA ALBERTO-LUDOVICIANA.

INEST OPERIS KLUEPFELIANI DE VITA ET SCRIPTIS CONRADI CELTIS PROTUCII
PARTICULAE ULTIMAE FASCICULUS PRIOR CURANTE
CAROLO ZELL, PROF. P. O.

FRIBURGI BRISGOVIAE
TYPIS WANGLERIANIS
MDCCCXXVII.

Milites, qui in Martis sanguinolenti neque ut nos, Commilitones, in Musarum castris militant, cum sui duces alloquuntur, nihil fere nisi tristia et acerba minantur, proeliorum pericula, cruciatus vulnerum atque adeo praesentissimae necis imaginem. Quanto melior nostra est conditio, qui quotiescunque Vos alloquimur nonnisi laeta, fausta, salutifera sumus dicturi. Aut enim signum dare, ut post honesta otia denuo suavissimas studiorum exercitationes repetatis, aut varias festorum solennitates Vobis indicere solemus. In quarum quidem numero nulla praestantior, nulla augustior esse potest, quam cum sacra Principis nostri natalitia concelebramus. Cum enim omnium omnino civium sit, hunc diem pia mente festum agere, nuncupare vota pro salute Principis et faustissima quaeque precari: tum nobis qui in hac academia aut docendo aut discendo litteris operam navamus peculiaris haec est, eaque praeclarissima ejus diei colendi ratio, quod coetui nostro Princeps clementissimus idemque Rector noster magnificentissimus et ipse summo loco praeesse haud dedignatur. Quapropter, Commilitones suavissimi, cum denuo lux illa annua

redierit exoptatissima, quam primam habuit vitae LUDOVICUS AUGUSTUS: agite, ea animi alacritate eoque obsequio, quod aetatem vestram decet, utrique jam officio satisfacite. Primum enim cum reliquis civibus gratias agite Deo optimo maximo, qui ad hunc diem Principem nostrum salvum et sospitem nobis praestiterit, et precamini summum numen, ut in republica regenda quaecunque instituat, decernat, sanciat, ea omnia et ipsi verae perennique gloriae, et communi patriae utilitati sint et saluti; atque vota suscipite, ut qui Vester juvenum nunc est Princeps, idem et senum sit futurus. Deinde iteratis votis Rectori nostro magnicfientissimo et gratias habete omnium rerum, quascunque ei Academia nostra debeat, et nobiscum operam date, ut haec literarum universitas, quae augustissimo LUDOVICI nomine gloriatur, ejusdem nominis et decus semper tueatur et sentiat fructus.

CAPUT XVII.

CONRADI CELTIS RHAPSODIA.

(AUG. VIND. 1505.) 4. FOL. II.

....

Integra opusculi hujus inscriptio ita habet: „In hoc libello continentur „Divo *Maximiliano* Augusto *Conradi Celtis* ῥαψῳδία: Laudes et victoria „de Boemannis per septem electores et Regem, Phoebum Mercurium, et „Bacchum et novem Musas personatas; publico spectaculo *Viennae* acta „anno M. D. IIII. Divo *Maximiliano* sodalitatis litterariae collegii poetarum „in delectu publico per classes decantatae, et recitatae laudes pro erectione „ejusdem collegii."

Quanquam duae sint hujus opusculi editiones (qua de re postea referam): valde tamen est infrequens, atque in forulis bibliothecarum raro ostenditur.

Quod licet in elencho opusculorum *Celticorum* sit praetermissum a sodalitate litteraria Rhenana, a *Fichardo, Adamo, Gundlingio, Fabricio,* aliisque; notitiam tamen diligentissimi *Burkhardi* minime fugit, quippe qui pag. 186, P. II. de fatis L. L. satis illud accurate, atque ex ordine recensuit. Priusquam ad opusculi ipsius, rerumque in eo contentarum exactiorem, quantum in nobis est, descriptionem aggrediamur: Iubet, quod ad externam libelli formam attinet, adhuc praemonere, errasse *Jac. Bruckerum*, dum in vita *Celtis* p. 131. refert ejus *Rhapsodiam* ad libros 10 formae majoris, quos *in folio* appellant. Verum palam est consideranti chartae formam primae, aut secuudae editionis, accensendum partum hunc librarium esse codicibus *in 4to.*

CONTENTA:

1) Duo *epigrammata Celtis* ad Divum *Maximilianum.* Item duae *epistolae;* altera *Augustini Moravi* ad *Celtem;* altera *Celtis* ad *Augustinum.*

2) *Rhapsodia;* sive spectaculum, ludusve scenicus.

3) *Celtis* Epigramma de *Joanne Husſ*; cui adjungitur ejusdem *Celtis* ode sapphica ad *Bohuslaum Hassenstein* de situ *Pragae*, sectis et haeresibus in Bohemia.

4) Sodalitas litteraria Viennensis Collegii, et instructae Classes; una cum *Epistola Celtis* ad Imperatorem, qua reddit rationem studiorum, ac munerum suorum.

5) *Celtis* epigramma adversus obtrectatorem.

6) Juvenum carmina eucharistica pro instituto poetarum collegio.

7) Opusculi censura, privilegium, locus et annus editionis.

8) *Joannis Sturni* carmen ad *Celtem*. *Celtis* epigramma ad *Maximilianum*.

9) *Imagines;* et opusculi editio repetita.

I. Epigrammate, quod priore loco visitur, petit *Celtis* Theodiscos versificatores rhythmicos; incipitque: *Cum tot arithmarii scribant tibi rhemate laudes.* Altero epigrammate gratulatur *Maximiliano* felicem ab oceano reditum. Ejus initium: *Qualis ab Hispanis Alcides venerat oris.* Epistola priore quaerit a *Celte Augustinus Moravus*, qui vocat *Celtem* suum *Complatonicum*, quare, aut cujus auctoritate vocet Boemos *Boemannos*. Epistola, qua respondet *Celtis*, nititur illam nuncupationem comprobare. *Epigrammata* dicta inferemus libris epigrammatum, quos *Celtis* vitae adjungemus. *Epistolas* autem dabimus in *Appendice*, una cum ceteris ejus epistolis, quarum potuimus esse compotes. Quare supersedemus, his quidquam addere.

II. Ludus quidem scenicus hunc fere in modum se habet: Considentibus septem Imperii electoribus personatis, mediumque inter ipsos locum occupante Caesare, *Heroldus* exhibendi ludi argumentum proponit hisce versibus:

Maxmilianeos, juvenes, celebremus honores,
Carminibusque suas tollamus ad aethera laudes:
Qui nostra aeterna componens tempora pace,
Stravit ab Arctoo venientes axe *Boemos*:

Hic ubi spumiferum *Regus* se voluit in *Istrum*,
Atque *Ratisponam* victricibus irrigat undis.

Vocatur a *Paresiphano* Phœbus cum Musis. *Phoebus* invitat, ac hortatur Musas ad victoris celebrandas laudes. Advolat *Mercurius*, Phœbi pedisequus; una cum Baccho, quem comitantur *Satyri* et *Fauni*. *Clio* inter Musas loco priore decantat versus suos; post eam Musae reliquae. Recitatis carminibus a Musarum choro, accedit *persona laureanda*, petens ab Imperatore poetarum insignia. Inauguratione peracta, cantant Musae, et saltant ad numerum, *Phoebo* cum cithara stante in earum medio. Finito a Musis cantu, *Bacchus* cum Satyris saltat, et canit, raptis Musis:

Seculis nostris modo gratulandum,
Quod tot electos habeat poetas
Austriae tellus: ubi, Bacche, fundis
Plurima dona.

Maximus Regum dat *Aemilianus*
Munus hoc nobis, veteres reducens
In suas terras generosus artes
Aere perenni.

Unde nos cuncti juvenes precamur,
Jupiter multos tibi det triumphos,
Nestorem longa superans senecta
Corpore sano;

Ut queat nostris removere terris
Perfidum Turcum gladio minaci
Sarmatas ultra, Suedosque pellens,
Cum Boemannis.

MERCURIUS ACTUM CONCLUDIT:

Hoc tibi casta cohors, Rex invictissime, carmen
Offert devotis candida pectoribus:
Commendatque tibi jam flexo poplite Musas,
Quae te perpetua laude sub astra ferent.

Rex respondet:

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit,
Vestrum defendens hic et ubique chorum.

Conversus ad spectatores Mercurius.

O vos, qui dulces audistis carmine Musas,
Maxmilianei dicere facta Ducis:
Ite bonis auribus, vestras nunc ite sub aedes:
Devota et Musis mente favete sacris.

Atque hic alter erat ludus scenicus, quem coram *Maximiliano* exhibuit *Celtis*. In utroque Imperator coronavit poetam; et actores munificentia regia donavit.

III. Succedit huic ludo *epigramma de Hufs, quod anser interpretatur.* Alludit *Celtis* ad id, quod *Hussius* expertus est *Constantiae.* Carminis initium: *Anser ad Almannos volitabat raucus olores.* Legitur integrum etiam in collectione *Celticorum* epigrammatum, quae postea proferemus. Epigrammati in *Hussium* adjuncta est *Celtis* ode Sapphica *ad generosum Dominum Bohuslaum de Hassenstein, de situ Pragae, de sectis et haeresibus in Bohemia.* Incipit: *Bosle Bemorum decus et ruentis.* Occurrit carmen idem; sed quatuor strophis auctius Lib. I. Odarum, Od. XXVII., et emendatius. In inscriptione quoque deprehenditur lectionum varietas. In *Rhapsodia* enim legitur: *ad Bohuslaum de Hassenstein.* In libris vulgatis Odarum: *ad Jovinianum Boslaum.* In cod. msc. *Norimbergensi* Odarum: *ad Jovinianum Album.* Neque aliter incipit primus versiculus: *Albe Bemorum decus &c.* Idem *Albi* nomen retentum est in edit. vulg. initio strophae decimae: *Albe, tu tantos fugiens tumultus.* Epigramma Odae huic Sapphicae adjunctum: *Quare poetae trinomines;* cujus initium est; *Quisquis adoptivo &c.* redibit inferius in libris epigrammatum.

IV. *Sequitur Sodalitas litteraria Vien. Collegii et instructae classes.* Erant selecti e collegio poetarum alumni duodecim, tres in classes distincti.

Sodales litterarii primae classis.

Eustachius Neophorus, Eslinganus a)

Thomas Aretius, Cremisanus. b)

Hieronymus Pius Baldungus. c)

Pancratius Vulturinus, Silesitanus. d)

a) Animadverti, hos adolescentes ex variis nationibus Germaniae potissimum fuisse selectos; ut nulla videatur esse contempta, aut non satis apta Músis. Quis *Eustachius* ille fuerit, aut qualis evaserit, nullibi mentionem aliquam reperi.

b) Plura constant de *Thoma Aretio.* Nonnulla seligimus ex multis. Dictus etiam est *Roscius,* alias *Aesch,* communiter *Velocianus,* aut *Panno,* Austriacus Cremisanus (*de Krembs*) poeta erat a *Maximiliano* laureatus, magister artium, philosophicae facultatis bibliothecarius, theologiae Baccalaureus, bis munere rectoris magnifici functus in academia Vien., collegio canonicorum in summa aede ad *S. Stephanum* adscriptus. Teste *Vadiano*, vices egit *Celtis* peregrinationibus impediti. Denominatus a *Celte*, rogatusque, ut, quae extremis tabulis constituisset, cum aliis exsequeretur. Vita functus an. 1520. Variis epigrammatis ornavit aliorum opuscula Idem edidit *Odas Celtis*; et *Aeneae Sylvii* Proverbiorum libellum. Vien. 1509. 4 Praeter epistolas ejusdem alias typis editas, suppetunt in cod. epistolari msc. ad *Celtem* epistolae duae. Alia de *Velociano* recurrent, ubi sermo erit de *Odis Celticis.*

c) *Hieronymus Pius Baldungus*, e nobili familia *de Leonibus* ortus, e collegio poetarum summus vir evasit. Translatus ad academiam *Friburgensem*, tradidit artem poeticam: ornatus juris utriusque suprema laurea juris, ac legum prudentiam in nostro pariter Athenaeo summa cum laude professus. Abdicato docendi munere adlectus inter consiliarios regios *Ensisheimensis gubernii.* Nactus demum munus *Cancellarii* Regii, ea dignitate auctus a *Ferdinando* Romanorum Rege. Non possum, quin huc transscribam verba nostri *Udalrici Zasii*, qui *Hier. Baldungo* dedicavit an. 1532. Tractatum Substitutionum; eum in epistola nuncupatoria hunc in modum compellans: „Nec enim, inquit, obscura est tuae doctrinae eminentia; qua a juventute „prae ceteris omnibus claruisti. Juvenem te audivimus, Aeneidis *Virgilii* magnam „partem memoriter recitantem. Carminis facilitatem, et elegantiam cum sententia„rum pondere, cum perspicuitate et quadam poetica divinitate in te, juvene, „saepius admirati sumus. Juris civilis doctrinam jam tum minor natu, supra „aetatis vigorem, ita exhauseras, ut et publice tractaveris etc." In epistola autem ad *Erasmum* idem *Zasius* de nostro *Baldungo* haec habet: *Vir est et juris peritissimus, et insuper omnibus humanitatis studiis ex pari doctus; et ut verbo dicam, eum comperies Hieronymum; quo pro ratione aetatis (necdum enim trigesimum annum*

agit) vix alium Germania nostra superiorem exhibebit. In ejus laudibus praetereundum non est, quod *Capnionis* causam tuendam sibi sumpserit; ut patet ex epistola *Seb. Sperantii* ad *Jo. Reuchlin.* Varia servata sunt *H. Baldungii* carmina, quibus ornatae sunt eruditorum lucubrationes, quae illa aetate prelo exierunt.

d) Pancratius, e Silesia, nomen patrium: *Geier*, mutavit in Latinum; maluitque dici *Vulturinus.* De eo nihil fere compertum habemus, nisi quod suppeditat *Schierius* in Comment. msc., amplexum videlicet illum fuisse institutum eremitarum *Augustinensium*: fuisse theologiae *Licentiatum*; ejusdemque *lectorem* apud concellitas suos in coenobio Nissano (*Neis*).

CLASSIS SECUNDA.

Georgius Boorius, Cecianus. a)
Joannes Pavetius, Boemannus. b)
Joannes Menanus, Ostrofrancus. c)
Clemens Bonicampius, Carneolanus. d)

a) Qui secundum classem ducit *Georgius Boorius*, videtur *Viennae*, aut non procul ab ea civitate natus; cui vicinus mons *Cecius*; unde *Ceciani* nomen adoptavit. Ex epistola *Boorii* ad *Celtem*, quae exstat in cod. epistolar. msc. intelligimus, fuisse eum magistrum artium, *Vienna Olomucium* concessisse, ibidemque litteras professum elegantiores: scripsisse carmen, quod *Celtis* censurae subjecit. Ex epistola autem *Martini Sinapini* Olomucensis colligere est, haud diu placuisse *Boorio* munus docendi apud *Olomucenses.* Scribit enim: *Magister Georgius, crassi colli et oblongi, propediem Viennam concedet, taedio„ credo, affectus palaestrae disciplinariae. Illic cum suis vivat, gaudeatque!*

b) Jo. Pavetianum an. 1505, die 23. Maii, a *Maximiliano* Imperatore, corona poetica decoratum fuisse, testis est *Balbinus* in Bohemia docta p. 377. P. II. editionis adornatae studio *Raph. Ungari*; ubi *Banetianum* eum appellat. Opinatur *Proschaska*, *Balbinum* vitiato codice deceptum fuisse.

c) Joannes Menanus, ita dictus a *Moeno*, Franciae orientalis flumine; paterno nomine appellatus: *Greul;* ad quod quidem rediit, postquam excessit e collegio poetarum. Videtur fuisse sanguine junctus *Friderico Nauseae* (Grew, *Greul*) quocum patriam, nomenque commune habuit. Cooptatus in ordinem ecclesiasticum, pastorale munus obiit in villa *Ottocari* prope *Viennam*, *Celti* semper addictissimus; uti apparet ex carmine ejus Sapphico ad *Conr. Celtem*; cujus exordium:

Qui cupis Musas celebrare sacras,
Atque Nysaeos coluisse thyrsos,
Rite divino legito poetam
Carmine *Celtim.*

Enumeratis deinde, laudatisque veteribus poetis, in fine rursus se convertit ad *Celtem*; atque carmen ita finit:

Celtis Epodos, Epigramma, Amores,
Pangit Eoua fidibus canoris,
Litteras Francus nitidas disertus
Alter Apollo.

Vive *Celtis*, terque quaterque *felix*,
Qui novem primus graciles sorores
Ducis Almannas Helicone in oras
Nectare sacro.

Scripsit praeterea Historiam divi *Kiliani*, quam nuncupavit *Sebastiano Felici Cuspiniano*, *Joannis Cuspiniani* filio. *Vien.* 1526. 4. Contexta est haec elucubratio historica versibus heroicis. Honoravit *Fridericus Nausea Joannem Greulium* quibusdam epigrammatis, quae conspiciuntur adjuncta huic divi *Kiliani* historiae.

d) Quid sit de *Clemente Bonicampio* quaerendum est apud eos, qui in rebus *Carniolae* litterariis magis sunt versati.

CLASSIS TERTIA.

Adam Seragus, *Necaranus*. [a])
Joannes Volscus de Zuola, *Bemus*. [b])
Nicolaus Musipholus, *Phorcensis*. [c])
Christophorus Apitius, *Maierhofanus*. [d])

a) Nihil est, quod valeam impertiri de *Adamo Seragio*, subsidiis destitutus litterariis. Ex illius carmine tres posteriores versiculos adscribimus in laudem *Maximiliani* et *Celtis*:

Quam *Celtis* dare jure potest, et ferre coronam,
Quem patrem patriae nutris, largissime Princeps,
Certa salus nobis, et spes fidissima Musis.

b) Nomen *Joannis Volsci* varie scriptum invenimus; nimirum *Swola*, *Swolski*, *Suola*, *Zuola*. Dicitur *Bemus*; sed proprie *Moravus* nobilis. Quondam gens utraque *Bohemorum* atque *Moravorum* sumebatur promiscue. Collegio poetico *Joannes de Zwola* egressus, addixit se jurisprudentiae studio; meruitque in ea facultate supremos Doctoratus honores. Adoptatus postea in collegium Canonicorum *Olomucensium*, vitae reliquae annos plerosque *Viennae* exegit cum amicis, et sodalibus

litterariis. In carmine, quo invitabantur socii ad natalem ejus celebrandum, *Ursinus Velius,* nominatis ceteris hospitibus, ita canebat:

Cujusque nunc mademus ob natalitia
Zuola vir tersissimus.

Scripta *Joannis Volsci* recensent *Schierius* et *Proschaska.* Huc spectant: *Periochae* librorum veteris testamenti; Cantica Canticorum, cum oratione dominica, metrice; Alphabetum theologicum; genethliacon mundi; atque alia; de quibus sunt conferendi *Schierius* et *Proschaska.*

c) *Nicolaus Musipholus* (Musiphilus?) vulgo *Gerbelius* Phorcensis, notior est, quam ut necesse sit, in ejus enarranda vita, aut scriptis recensendis diu, multumque occupari. Solum indicamus, eum relictis poeticis, atque philosophicis scholis, accessisse ad perdiscendas leges. Charum fuisse *Joanni Reuchlinio*, populari suo, et *Joanni Cuspiniano*, cujus opera postuma *de Caesaribus*, et *Consulibus* Basileae vulgavit typis. Obiit supremum diem mense Januario an. 1560, decrepitae aetatis senex; ut scribit *Sleidanus* ad hunc annum. Cetera, quae *Gerbelium* attinent, liberaliter suppeditant biographi, aut litteratores alii.

d) *Christophorum Apitium, Maierhovanum,* patria Moravum fuisse, conjectura est ex amicorum epistolis msc. ad *Celtem.* In *Olomucensium* litteris crebra fit mentio sodalitii litterarii *Maierhoviani.* Videtur ea societas habuisse certas sibi praescriptas leges. Scribebat enim ad *Celtem Gregorius Nitsch,* Olomucensis canonicus, dare se responsum ejus epistolae non posse, antequam sodalitati congregatae praelegeretur; *ne poena legis sodalitatis dignus censeri posset.* Subdit, ejusmodi conventus *non haberi sine symposio, Cerere et Baccho*; *ut nosti.* Quam ob rem eosdem sodales epistola ad *Celtem* vocat *Martinus Sinapius combibones Maierhovianos.* Carmen Sapphicum *Christ. Apitii,* quod incipit:

Gratias longo referamus aevo
Caesari pulchra, juvenes, *Vienna,*
Qui dicat sacras Philomusus aedes.
Plaudite Musae!

integrum retulit *Burckhardus* p. 204 seq. P. II. de fatis L. L.

Integrum pariter *Celtis* ad *Maximilianum* epistolam l. c. p. 200 seq. adducit *Burckhardus,* qua Imperatori testatum facit, nihil a se fuisse praetermissum, quod attineret vel institutionem juventutis litterariae, vel curationem bibliothecae Augustae; seque ac contubernales suos commendat favoribus Regiis, meliora pollicitus. Eadem epistola a nobis inseretur *Appendici*, ceteris adjuncta *Celtis* epistolis.

V. Posteaquam versiculis nonnullis praedicaverat *Celtis* scholarum *Viennensium* felicitatem, postliminio in eas reversis melioribus Musis; adjuncto epigrammate exagitat calumniatorem, *qui scripsit, nullum se Germanum pure Latine scribentem legisse.* Incipit: *Laurea Germanas jam commigravit ad oras.* Injuriam conjunctam cum ignominia Germani nominis, suaeque scholae, indigne ferens *Celtis*, obtrectatorem appellavit *censorem rudem*, appositis minis, immoderatioris *Aristarchi* scripta a suis discipulis cribranda esse *Latiali carmine* ad vindicandum facinus.

Etsi vero *Celtis*, quem epigrammate pupugit, non nominaverit: sentiens tamen *Henricus Bebelius Tubingensis* professor, se petitum esse ac lacessitum, epigramma epigrammati opposuit, tacito pariter *Celtis* nomine. Negat, talia a se unquam scripta esse; causatus, sua oculis lippis legi, et perperam intelligi. Vocavit in subsidium defensionis, innocentiae testes *Wolfgangum Bebelium* fratrem suum, *Jacobum Heinrichmannum*, et *Michaelem Coccinium*, vulgo *Kochlin.* Eristica haec scripta refert *Henr. Bebelius* p. 143 seq. opusculorum suorum Tüb. 1511. 4. post *Celtis* obitum.

Similis ferme controversia intercessit *Henricum Bebelium* inter et nostrum *Udalricum Zasium.* Accusaverat *H. Bebelius Justinianum* sermonis barbari. Contendit, usum hunc imperatorem fuisse Latinitate inculta, Gothico dicendi, scribendique genere, usque ad ea tempora inaudito, tersis et elegantissimis legibus fecisse injuriam. Aegerrime tulit *Ud. Zasius* dehonestari *Justinianum* barbaro, et Gothico nomine. In epistola ad *Zasium* respondens *H. Bebelius*, primo confessus videtur esse noxam: *Fateor*, inquit, *me plane multa quondam fervore adolescentiae, et aetatis vitio emisisse, quae si nunc mihi essent edenda, intelligerent omnes homines, nullius me rei majorem habere rationem, quam modestiae.* Postea culpam nisus est tueri; hac addita sententia: *Qui eo tempore* (Justiniani) *locutus sit incorrupte repertus est nemo.* Audax, et temerarium dictum, prolatum post mille propemodum annos ab homine,, qui ipsemet vitiis Latini sermonis neutiquam caruit!

VI. Carmina ipsa, quae in opusculo sequuntur, duodecim juvenum poetarum varii sunt generis, elegiaci nimirum, heroici atque lyrici. Neque omnia ejusdem pretii, ut incipientium primi conatus ferunt. Id, quod locum postremum occupat *Apitii Maierhovani* prae ceteris placuit. Ita vero finit:

Vivat aeterno *Pater* ille *vatum*
Semper *Augustus*: vigeantque semper
Carminum dulces moduli, et poetae.
Plaudite Musae!

Phœbus et vestra medius corona
Candidus pulset citharam sonoram
Nosque conjunget geniali amore.
Plaudite Musae!

VII. Clausula: „Finiunt panegyrici decantati Divo *Max.* August. per „sodalitatem litterariam *Danubianam*: censoribus *Conr. Peutingero*, *Joanne* „*Foeniseca*, *Sebastiano Sperantio*: impressi autem *Augustae Vindel.* per magistrum „*Joannem Otmar*: sub privilegio Regis: nequis in decem annis illa im„primat in urbibus imperii, et Regiae Majestatis terris. Anno M. D. V."

Hinc edocemur, libelli censores, *Peutingerum*, *Foenisecam*, etiam sodalitatis *Danubianae* fuisse socios. Erat *Joannes Foeniseca*, vernaculo nomine appellatus *Mader*, patria *Augustanus*, qui juventutem *Augustanam* grammatices, aliarumque liberalium artium praeceptis instituit, teste *Paulo a Stetlen*; quique non tam claruit, quam contemtus est doctissimus philosophus, virque singularis; velut de eodem loquitur *Gassarus*, apud *Franc. Ant. Veith* p. 177, Alph. IV. Bibl. Aug.; ubi pariter opera, quae *Foeniseca* in lucem emisit recensentur. De *privilegio* cujus in eadem clausula fit mentio, illud singulare, quod non tantum concessum fuerit, ut ea, quae praecesserunt, ab Ordinibus Imperii; verum etiam ab Imperatore, quantum attinet ditiones *Austriacas*.

VIII. *Clausulae* est adjunctum *Carmen Joannis Sturni Smalcaldensis, ad Conr. Celtem.* Incipit:

Qua late armisonis bellax Germania terris
Sceptra Latina gerit:
Cogitat Aoniis duce te jam *Celte* coronis
Excoluisse caput.

His, quae de *Sturno* alibi diximus, nunc addimus, nitidissimum, ac eruditionis plenum esse hoc ipsum carmen; haud immerito eum relatum

inter principes aureae aetatis poetas, maximoque in pretio habitum ab *Eobano Hesso*, qui carmine ornatissimo ejus nomen celebravit. En carminis *Eobani* initium et finem !

Sturne Latinorum consors non ultime vatum
Carmina Pieria clangere docte chely.
Sic mihi qui cecinit vocalis carmina *Sturnus*,
Lusciniae dicam vincere saepe melos,

IX. *Prima* tres inter imagines, quae huic opusculo ornamento sunt, repraesentat *aquilam*, monocephalon, pectori affixa gerentem Austriacae domus arma gentilitia. Imaginis margo superior inscriptionem continet, his conceptam verbis: *Aeternitati imperii, et felicitati inclytae Domus Austriacae dicatum.* Limbi inferioris spatium implet hoc distichon:

Astra Deo nil majus habent, nil Caesare terrae:
Si Caesar terras, et Deus astra regit.

H. B.

Quibus litteris designatur imaginum sculptor *Hans Burgmaier.*

Secunda effigies, ceteris latior, exhibet praelium cum omni apparatu bellica, prostratosque hostes, Bohemos potissimum, duce *Maximiliano I.* Imperatore, prope Ratisponam.

Icon *tertia* refert *insignia* poetarum; cujusmodi sunt: Laurea poetica, annulus aureas, biretum, sigillum collegii, quo exhibetur Apollo una cum Mercurio, sagitta perfodiens serpentem; sceptrum praeferens aquilam bicipitem, atque septem electorum insignia. Ac eae quidem figurae omnes eleganter, curateque excusae sunt. Superiori margini adscripti sunt versiculi: *Hanc laurum dedimus Conrado &c.* De quibus alibi jam fecimus mentionem.

Hujus libelli suppetunt editiones duae, quae quidem easdem anni, loci, et typographi notas praeferunt. Distinguuntur autem a se invicem, quod altera sive posterior, plenior sit in nonnullis atque auctior; velut elucet ex epigrammate de *Hufs;* cui addita sunt verba haec: *Quod anser interpretatur.* Idem observare est in Ode Sapphica *Clementis Bonicampii,* quae duabus stro-

phis in editione posteriore est productior. Finis tandem opusculi, ut de ceteris taceam, id ipsum evincit. Editionem enim secundam claudit adjectum distichon cum hac inscriptione: *Oraculum Apollinis ad Cel.*

Magna venit nulli sine magno fama labore:
Et vaga sudorem gloria semper habet.

Quos quidem versiculos, quibus est destituta editio prior, *Celtis* huc transtulit ex libris Amorum, Eleg. III. Lib. I.

Ante *Apollinis oraculum*, cujus modo meminimus, velut in tabella suspensum anathema complectitur *Celtis* ad *Maximilianum* Augustum pia vota, proposita elegiaco carmine. Pollicetur, se scripturum *originem* Domus Austriacae, *Vitam*que ac res gestas *Maximiliani.* Incipit:

Posthaec pulchra tuae scribam primordia gentis,
Atque atavos, proavos, magnanimumque patrem.

Definit:

Cumque tibi nullus similis nunc vivit in orbe:
Historiam hanc solus scribere nemo potest.

CAPUT XVIII.

CARMEN DE DIVERSIS DIVERSORUM STUDIIS.

....

Non induxissem in animum, huic carmini peculiarem assignare locum, nisi me commoveret tum bibliographorum, tum exemplarium veterum, seorsim excusorum auctoritas. *Fabricius* certe et *Schierius* tanquam distinctum a ceteris *Celtis* poema commemorant. Circumferuntur praeterea editiones ejusdem veteres, quae loci, aut anni carent indicio. Deprehenditur in codicibus diversis lectionum varietas multiplex. Vulgata editio, quae libris Amorum inserta est Lib. III. Eleg. X. complectitur disticha 59, editio *Barthiana* 50; codex msc. *Norimbergensis* distichis 21 absolvitur.

Argumentum carminis exprimit *Celtis* hac inscriptione: *Quod diversi ad diversa studia nati sunt.* Incipit:

Quam variis fatis coelestia sydera mentes
Exagitent, nostro carmine nota dabo.

Moguntiae, ubi morabatur circa annum 1491. fuisse hos versus a *Celte* conscriptos, inde conjicimus, quod *Ursulae*, *Gallae*, sive *Rhenanae* in illis faciat mentionem. Inde factum esse arbitramur, ut in terris Rhenanis facilius innotesceret; typisque vulgaretur *Francofurti*, absque mentione anni, teste *Fabricio*. *Caspare* autem *Bahrdtio*, qui idem carmen retulit Adversar. Lib. LIV. cap. 16. edocemur, se illud reperisse *Coloniae Agrippinae*. Lubet *Bahrdtii* verba, quibus rem enarrat, huc transscribere; quippe quae ad dicti carminis censuram, praestantiamque magnopere faciunt: Dum, inquit l. c. rimor, excurro, perquiro, atque indago omnia exemplaria vetera, nonnunquam felicior sum, quam sperare potui unquam: incido enim in monumenta talia, ut operae pretium in majore etiam alia perscrutandi diligentia deinceps ab horum elegantia facturus mihi videar. Inter digna memoria posterorum censeo et hanc, quam nunc produco *Elegiam, piam, cordatam, eloquentem, comptam, nec malorum temporum;* ut visa est. Transscripsi autem ex membranaceo codice *Coloniensi*, variarum rerum, quem ante aedem fratrum Minorum ibi praestinavimus.

Adducto carmine ita prosequitur: „Multa allusio optimorum scriptorum in hoc carmine superest. Quanquam perfectum esse non existimem. Multa sunt, quae non eam aetatem redolent, quam prae se ferre videatur principium. Priorum de genere est: *Nominibusque tribus nobilis esse cupit.* Quod *Juvenalis* illustrat *Angelus Politianus* Miscell. cap. 31. *Deducere versus* Maronianum. *Stare poema* Horatianum. *Recto stat fabula talo*, Claudianum. *Arena sine calce* Caligulae est de Seneca. Atque ejus generis plura insunt. Alia arguunt, sub Roma jam Rotam suam colente scriptum hoc carmen. Itaque de aetate non ausim concludere. Etiam Alchimistam incessunt illa:

Hic cupidus tacito dementat in igne metallum,
Promittens spebus aurea dona suis.

Nam *dementare* metallum intelligendum arbitror, spiritum illi extrahere; ut memini hoc genus hominum loqui! Hucusque *Bahrdtius*, qui carminis, quod recensuit, auctorem ignoraverat.

Bahrdtii hac cognita crisi, indicavit *Placcius* p. 66. Theatr. Anon. *Hamb.* 1708, auctorem carminis esse *Celtem*; sibique suppetere exemplar aliud, non vocibus tantum, sed versibus etiam diversum ab eo, quod edidit *Bahrdtius*. Promisit, se divulgaturum typis, tempore commodo. An fidem liberaverit, me clam est.

Superstite adhuc *Celte*, eandem elegiam, quod conjectare licet ex epistola nuncupatoria an. 1507. *Viennae* data ad *Joannem de Zuola*, *Celtis* discipulum, (de quo alias), typis excudi fecit *Ambrosius Pero*, hac ratione inscriptum: *C. Celtis poetae carmen elegans de diversis, et inutilibus studiis, et inanibus curis mortalium.* Utrum *Viennae* haec editio viderit lucem, pronuntiare non ausim: si quidem ea de re sileant *Schierius* et *Denisius* in hist. typogr. Vienn. Huic elegiae praefixit *Pero epistolam Luciferi ad malos principes ecclesiasticos;* quae incipit: *Lucifer, princeps tenebrarum* etc. Desinit: *Anno a palatii nostrii fractione millesimo tricentesimo quinquagesimo primo. Beelzebub vester specialis amicus.* In bibliotheca *Bernensi* servantur ipsius epistolae exemplaria duo msc., inter se diversa. Unum ex his, typis exscriptum, insertum est in *Tempe Helvetica* p. 638. Ibidem indicatur ejusdem epistolae translatio etiam aliqua Theodisca publicata typis.

An. 1520. Elegiam, de qua hic agimus, una cum *Celtis* carmine alio *in laudem senectutis*, ex Lib. IV. Amorum Eleg. IV., *Lipsiae* luci exposuit *Joannes Hornburgius*, *Erythropolitanus* (Rottinburgensis ad Tuberam) dedicavitque *Christophoro Hegendorphino*, celebri scholae Selestadiensis magistro, *Graece et Latine docto.* Praemittit epigramma ad lectorem, plenum encomiis, quibus *Celtem* effert. Initium:

> Cessit in astrigerum dum quondam *Celtis* Olympum:
> Et Jovis aetherei limina celsa subit.

Finis istiusmodi est:

> Plaudite Germani, quos praesens conspicit aetas,
> Quorum et adhuc viridi tempora flore vigent.

Barbara turba jacet: sapitis: jam plaudite laeti;
Et memores *Celtis*, dicite semper Jo!

Attexuit *Joannes Homburgius* Celticis carminibus Oden Sapphicam ad purissimam Virginem, Divam Deiparam *Mariam*, in cujus honorem Judaei nuper *Erythropoli* relegati sunt. Incipit:

Regis aeterni genitricis almae
Dicimus laudes facili Camaena.

Dedicavit hanc Oden *Hornburgius Sebastiano Münstero* philosophiae Magistro. *Lipsiae* 1520.

An. 1625. *Francofordiae* praemissum est *Celtis* carmen: *Quam variis fatis* etc. farragini scriptorum, cui titulus: *Omnium horarum obsonia* etc. apud Porsium. 8.

CAPUT XIX.

GUNTHERI LIGURINUS.

AUG. VIND. 1507. FOL.

....

Operis hujus plena inscriptio est ejusmodi: *Ligurini de gestis Friderici primi Augusti Libri decem, carmine heroico conscripti, nuper apud Francones, in sylva Hercinia, et Druidarum Eberacensi coenobio, a Conrado Celte reperti; postliminio restituti. Aeternitati, et amori patriae consecratum.* Ejusce operis editio *Celti* jure adscribitur, non solum, quod illud repererit; verum etiam quod cum bibliopola, quemadmodum praefatio edocet, de *Ligurino* edendo *Augustae* egerit, ac post unum, alterumve tractatum, cum *Celtem* inter et bibliopolam non conveniret, urgente profectione, rem demandaverit amicorum et sodalium arbitratui; quorum studio ac opera factum, ut iis, quae obstabant, e medio sublatis, editioni daretur initium.

CONTENTA:

1) Praefatio sodalium litterariorum, qui *Augustae* degebant.

2) Carmen *Conradi Celtis ad Ligurinum.*

3) Argumenta librorum decem. Adnectitur epigramma *Celtis ad Joannem Rymann.*

4) Opus ipsum; sive Libri decem Guntheri poetae de rebus *Friderici I.* imp., potissimum gestis in *Liguria.*

5) Clausula libro decimo adnexa, designans editionis annum, et typographi *Augustensis* nomen.

6) Epistola *Conr. Peutingeri* ad *Maximilianum* imp.

7) Epistola *Friderici I.* imp. ad *Ottonem Frisingensem.*

8) *Conr. Peutingeri* dissertatio historica de ortu, genere, posteris *Friderici I.*

9) Conclusio totius operis; ex qua constat, quibus per Germaniam academiis commendatus fuerit *Ligurinus*, ad usus praelectionum publicarum.

I. Quae ad historiam primae hujus operis editionis spectant, disertius exponuntur in praefatione. Lectu indigna non sunt, quae de occasione reperti a *Celte* libri, ejusdemque editione referuntur. Nos praefationis initium, quod maxime huc attinet, lectoribus nostris exhibemus. „*Marquardus de Stain.* ecclesiae *Bambergensis* Praepositus, *Matthaeus Marschalck*, „*Bernardus et Conradus Adelmann de Adelmannsfelden*, Canonici, *Conradus Peutinger*, *et Georgius Herbart*, Lectori salutem. Venit his diebus *Augustam* „*Conradus Celtis*, vir tum in bonis artibus apprime doctus, tum etiam „diligens admodum veterum scriptorum indagator: quem cum pro nostra „erga eum amicitia allocuti fuissemus, rogavimus, si aliquos libros antea „nobis incognitos peregrinando per Germaniam reperisset, ut eorum pro „sua in omnes humanitate copiam nobis faceret. Retulit, *Ligurinum* „quendam, egregium poetam, de rebus gestis per *Fridericum* primum Caesarem, in monasterio quodam *Franciae Orientalis*, quam nostrates *Franconiam* appellant, se invenisse. Eundem cum legendum, ac per otium „conspiciendum nobis tradidisset: existimavimus profecto, dignum fore, qui „per ora virum volitaret. Adhortati itaque *Conradum* fuimus, ut exprimi

„formis curaret. Cumque post aliquot tractatus sibi cum artifice parum „conveniret; atque hinc abire decrevisset . . . effecimus, ut artifex ille „onus subiret etc."

II. Carmine, quod praefationi succedit, declarat *Celtis*, auctorem *Ligurini* Germanum esse poetam, *Virgilio* parem; cui ipse se fasces submittere profitetur. Incipit:

Cedo libens *Ligurine* tuis doctissime scriptis:
Et genua, et plantas *Celtis* adoro tuas.

III. Sequuntur *argumenta decem librorum*, carmine heroico. An haec argumenta *Güntheri* sint, an alterius cujuspiam, vel ipsius *Celtis*, in medio relinquit *Petrus Pithoeus* in sua ad lectorem praefatione, *Günthero* a se edito praefixa. Nos vero non dubitamus, haec argumenta, metrice proposita, *Günthero* auctori tribuenda esse. Singula quidem constant versibus decem, summa cura elaboratis, atque singulatim enuntiantibus, quid libri singuli complectantur. Auctorem non esse *Celtem* inde conjicimus, quod *Celtis* hoc opus recens nactus fuerit, neque tantum habuerit otii, urgente itinere, ut diligentius illud perlegere, atque tam exactam illius synopsin reddere valuisset illigatam versibus, a stylo *Celtis*, ejusdemque scribendi genere multum alienis. Argumentum libri primi hunc in modum poeta orditur:

Primus habet primos electi Regis honores:
Sceptra manu, primumque sacra cervice coronam
Gestat *Aquis*: merita *Trajectum* protinus ira
Plectit etc.

Quis fuerit, qui sumtus suppeditavit operi publicando, declarat *epigramma*, argumentis adjunctum, *ad Joannem Rymannum per universam Germaniam librarium et bibliopolam Conradi Celtis Carmen;* cujus initio chalcographum ita compellat:

In nostras terras Latius, Graecusque character
Jam venit studio, culte *Rymanne*, tuo.

IV. Comparet opus ipsum decem in libros digestum. Quam praestans illud sit, ac utile, *Conradus Rittershusius* copiose enarravit in praefatione

editionis suo studio adornatae; ex qua pauca seligimus, huc transferenda. „Inter paucos, inquit, qui supersunt e scriptoribus rerum Germanarum, praecipua dignatione eminet *Guntherus;* qui res suo aevo, domi forisque, fortiter et sapienter, atque magnanimiter gestas a maximo, et optimo, potentissimoque imperii Germanici nominis *Friderico I.*, cui a barbae colore *Aenibarbo* vel *Barbarossae* cognomen fuit, carmine supra quam seculum suum ferat, elegante, bonoque et erudito descripsit. Quanquam autem de tempore, quo *Guntherus* scripserit, nonnulli dubitent: ipse tamen omnem hanc dubitationem sistit; dum satis significat, se imperatore *Friderici* etiam vivo illud poema confecisse, in quinque mensibus, et imperatori, a bellorum tumultibus interquiescenti, aliquando egregium hunc laborem suum obtulisse. Cum autem vel ex argumento operis, ejusdem soleat dignitas et praestantia aestimari; vel ex modo, aut forma tractandi: et vero hic de rebus gestis *Friderici Aenobarbi* agatur, qui tantus et talis, qui pace belloque tam inclytus princeps fuit, ut sub eo, non injuria, aureum quasi seculum rediisse videatur; idque nec vulgariter, sed omnibus adhibitis ornamentis et luminibus orationis: potestne cuiquam esse obscurum, quanti ab omnibus noster hic *Güntherus* fieri mereatur? Habebunt hic summi principes ac reges, quod imitantur, atque exprimant; nimirum pietatem, religionem, fidem, justitiam, fortitudinem, animique magnitudinem, in utraque fortuna. Habebunt, hic magnorum principum cancellarii, consiliarii, atque legati, quod ad suos usus saepe transferre possint, in arduis deliberationibus. Habebunt hic legum, jurisque conditores; ut statuant, quae sint reipublicae salutaria. Habebunt, quod inde discant magistratus et judices, belli duces atque episcopi: poetae, oratores, historici, geographi, jurisconsulti, theologi, ac medici: singuli enim suarum hic artium, ac disciplinarum semina, atque opera recognoscent.“ Atque hunc in modum, de hoc opere, iudicavit *Rittershusius.*

V. *Clausula* Libro decimo adjecta: *Gunt'heri Ligurini poetae clarissimi de gestis Divi Friderici Decem libri feliciter editi: et impressi per industrium, et ingeniosum magistrum Erhardum Oeglin civem Augustanum. Anno Sesquimillesimo et septimo mense Aprilis.* Ex hisce verbis intelligimus, nomine *Ligurini,* quae poematis hujus inscriptio est, auctorem ipsum fuisse vocitatum. Quem quidem in errorem etiam alios postea prolapsos esse, compertum est.

VI. Clausulam excipit *Epistola Conr. Peutingeri* ad Divum *Maximilianum*; in qua disserit de familiis Caesarum.

VII. *Epistola* exhibetur *Friderici I.* ad *Ottonem Frisingensem*, patruum suum; qua certiorem eum reddit de his, quae quinque prioribus annis sui imperii gesserat.

VIII. *Conr. Peutingeri* quae addita est dissertatio historica, operose elaborata, versatur in exponendo ortu, genere, ac posteris *Friderici I.*

IX. Ultima demum totius operis conclusio nomina continet professorum, qui tum aetatis in Germaniae academiis artem poeticam professi sunt; iisdemque commendatur *Ligurinus* dignus, qui legatur, atque explicetur juventuti litterariae, imitandusque proponatur. En conclusionis verba: „Felici „fine completus Ligurinus, et per universam Germaniam, et ejus publica „gymnasia jam notus, et juventuti Germanicae ad legendum, et enarrandum „praebitus primo *Viennae* per Conradum Celtem; *Friburgi* per Hieronymum „Baldung; *Dubingi* per Heinricum Bebelium; *Ingolstadi* per Jacobnm Philo„musum; *Lipsiae* per Hermannum Bostium; qui in praedictis gymnasiis „publico stipendio Romanas litteras feliciter profitentur."

Teneo te Europa, et tota Germania.

Praeter *primam* hanc editionem, quae ceterarum mater est, sex aliae succedentibus annis comparuerunt.

Argentinensis an. 1531 cum scholiis *Jacobi Spiegel*, *Selestadiensis*; qui junxit *Ligurino Autsriaden Bartholini*; fol.: scholiis paribus illustratam. Fol.

Basileensis Petri *Pernae*; cum praefatione *Philippi Melanchthonis* an. 1569, fol.

Basileensis altera ejusdem *Pernae* eodem anno 1569, cum praefatione et emendationibus *Petri Pithoei* I. C. Fol.

Francofordiensis an. 1582 apud haeredes *Andreae Wechelii*; qui omnia *Argentinensis* vitia retinere, quam emendationes *Pithoei* adoptare maluerunt. Fol.

Tubingensis an. 1598 studio *Conradi Rittershusii* I. C. copiosis adnotatio nibus illustrata; in 8vo. Huic editioni in fine accedit tum diploma aliquod

Caroli Magni, quod nonnullis *Guntheri* locis lucem affundit: tum vitae *Friderici Aenobarbi* descriptio per *Paulum Jovium;* animadversionibus additis a *Rittershusio.*

Francofordiensis anno 1626, inserta scriptoribus rerum Germanicarum, editis a *Reubero.* Fol. *)

His nihil est quod addamus, nisi esse primae editionis nimirum *Augustanae* exemplaria quaedam, quae in fine libri decimi referant imaginem *Aquilae;* in exemplaribus aliis autem ejusdem editionis desiderari, spatio paginae vacuo relicto; cujusmodi est illud, quo ego utor.

CAPUT XX.

CONRADI CELTIS MELOPOEA.

AUG. VIND. 1507. FOL.

....

Prolixior hujus operis inscriptio, diffusa per viginti versus, atque ita disposita, ut formam crateris referat, talis est: „*Melopoeae*, sive harmoniae „tetracenticae super XXII. genera carminum, heroicorum, elegiacorum, „lyricorum, et ecclesiasticorum hymnorum *per Petrum Tritonium*, et alios „doctos sodalitalis litterariae nostrae musicos secundum naturas, et tem„pora syllabarum, et pedum compositae et regulatae *ductu Conradi Celtis* „feliciter impressae.

„Carminum dulces resonemus odas:
„*Crater* „Concinant laeti pueri tenores: *Bacchi*
„Et graves fauces, cithara sonante,
Temperet alter.

„Optime musiphile, strophas, id est, repetitiones carminum, collisiones „syllabarum, et connubia pedum, pro affectu animi motu, et gestu corporis „diligenter observa." Hucusque titulus, qui dimidiam folii primi partem occupat.

*) His adde, qua Klüpfelio uti non licuit, optimae notae editionem, quam curavit C. D. Dümgé. Heidelbergae, 1813. 8. *Z.*

Fuisse *Celtem* utriusque musicae *pertinacem amatorem*, contendit sodalitas litteraria Rhenana in ejus vita. Inde a pueritia, et per consequentem aetatem tractasse artem musicam, ex illius carminibus affatim colligitur. Uti ad promovendas ceteras liberales artes, ita ad excolendam musicam convertit animum; quod praesens opus musicum contestatum facit. Usus est *Celtis* ad illud perficiendum potissimum opera *Petri Tritonii*, *et sodalitatis litterariae*; quemadmodum declarat operis inscriptio. Quis fuerit ille *Tritonius*, fatetur *Denisius* p. 568. Garell. Biblioth. se ignorare. Per *sodalitatem* autem *litterariam*, quae contulerit operam sociam, censet l. c. *Denisius*, designari *Bavaricam*. Nos vero opinamur, *Celticam*, *Danubianam* intelligi, quam in titulo *Celtis* appellavit *nostram*. Quibus accedit, quod *Petrus Tritonius*, cui tanquam sodali praecipuo nominatim adscribitur hujus negotii gestio, *Danubianae*, aut *Celticae* sodalitati fuerit adscriptus. Erat *Tritonius* patria *Tyrolensis*, qui *Athesini* etiam nomen sibi imposuerat. *Brixini* eum vitam egisse, ludo litterario praefectum a *Druidibus* missum in Italiam, *Patavii* magisterii philosophici insignibus decoratum, nuncupasse *Celtem praeceptorem* suum, sorte sua apud *Brixinenses* minus contentum, rogasse *Celtem*, ut *Viennae* sibi prospiceret de statione honesta, quae magis placeret, spospondisse *Celti Athesinae* vallis descriptionem, edocemur ex *Tritonii* epistolis msc. ad *Celtem* datis an. 1502 et 1503. Succedentibus annis Ludo litterario *Bolsani* (Bozen) praefectum fuisse *Tritonium* testis est *Vitus Bild* apud *Placidum Braun* Vol. IV. notit. litter.

CONTENTA:

1) Celtis epigrammata duo: alterum ad musiphilos; alterum ad *Jordanum*, modulatorem Augustanum.

2) Tabula, quae exhibet duo et viginti genera carminum.

3) *Benedicti Chelidonii* Norimbergensis Ode ad *Conr. Celtem*.

4) Notulae musicae, ad quas exigendus cantus quatuor vocum.

5) Hymni ecclesiastici diversi generis.

6) *Clausula* operis; una cum *Celtis* epigrammate *ad Erhardum Oglin*.

7) *Theod. Ulsenii*, medici et poetae laureati carmen *ad Conradum Celtem*.

8) Imagines.

I. Epigrammate *primo*, quod titulo proxime jungitur, gratulatur *Celtis* Germaniae, quod *Herciniae* juga Graecis, Latinisque carminibus resonent. Incipit:

Conspicite haec, juvenes Germani carmina, Quatuor
Vocibus ut vates, et sacra templa canunt.

Epigramma *alterum, ad Jordanum*, Augustensem musicum, laudato cantu, atque recensitis instrumentis musicis, ut se auctorem declararet hujus *Melopoeae*: hunc in modum finit:

Haec vobis Celtis musica dona dedit.
Plaudite Musae!

II. *Tabula*, quae folio primo verso visitur, indicem sistit carminum diversi generis, una cum suis appellationibus technicis; quae qua ratione cantanda sint, per operis decursum traditur, praescriptis eam in rem modulis musicis. Id genus carmina sunt duo et viginti, decerpta pleraque ex *Horatio*; exceptis posterioribus tribus. Vigesimum enim est *Celtis*; vigesimum primum *Lucani*; vigesimum secundum elegiaci generis, quod incipit: *Floreat in studiis etc.* cujus sit, ignoro. Indicatae sunt in eadem tabula 23. Odae *Celticae*, quae cum sint metri ejusdem cum *Horatianis*, iisdem quoque modulationibus decantari queunt. Duas tamen Odas in eam seriem relatas esse intelligo, quae in vulgata *Celticarum* Odarum collectione non occurrunt Una incipit: *Quam beatus etc.* altera: *Quid me sollicitas etc.*

III. *Tabulae* carminum adnectitur Ode Sapphica *Benedicti Chelidonii*, Benedictini *Norimbergensis ad S. Aegidium*; hinc vocatus *Viennam*, ut *Scotorum* coenobio praeesset, non inelegans poeta; *Celtis* cultor, et admirator; quemadmodum satis prodit hoc ipsum carmen:

Quamvis ad nigros rapiaris Indos;
Seu legas plaustrum glacialis ursae;
Solis ad casum properes, vel ortum,
Ut nova visas:
Te tamen mecum teneo magistrum,
Dum tui, *Celtis* mihi sunt libelli,
Quos frequens specto, lego; sed recondo
Cordis in arca

Regios ex iis vigilando sensus
Syllabae tempus; simul et decorem
Carminis furor meus es poesis
Author in arte.

De *Benedicto Chelidonio* legendi sunt *Ziegelbauer* T. IV. Hist. litter. ord. s. Bened. *Willius* in Lexico erud. Norimb.; ubi etiam *Chelidonii* nonnulla opera recensentur.

IV. Reliquum totum fere opus continet notulas musicas, ad quarum praescriptum odae illae, de quibus supra facta est mentio, modulandae sunt. *Discantus et Tenor* (liceat nobis cum musicis loqui) occupant faciem foliorum unam; alteram, eidemque oppositam, sibi vindicant *Altus et Bassus*. *Notae* musicae his fere similes sunt, quorum est usus in *chorali* cantu, ut solet appellari; dispositi in *scala* quinque linearum. Affirmanti *Denisio*, esse *notas* aeri incisas, contradicit *Zapfius* P. II. Hist. typogr. August. p. 26, rectius contendens, esse ex aere fusas, mobiles, nitidissimas. Inter odas, quibus moduli musici praescripti sunt, primum locum tenet, *Horatii* prima: *Maecenas atavis edite regibus*; ad cujus imitationem confecta cum sit *Celtis* ista, pariter prima: *Caesar magnificis laudibus inclytus;* proclive erit rerum peritis, exigere hujus etiam carminis cantum ad melodiam eandem.

V. Idem fere statuendum est de *hymnis ecclesiasticis*, qui sunt ejusdem metri cum *Horatianis;* velut: *Conditor alme syderum etc. A solis ortus cardine etc.*

VI. Recensioni hymnorum ecclesiasticorum, adnectitur *clausula:* „Im-„pressum *Augustae Vindelicorum*, ingenio et industria *Erhardi Oglin*, expensis „*Joannis Rimann*, alias *de Canna et Oringen.*“

De re typographica bene meritus *Erhardus Oglinus*, dictus etiam *Oeglin*, *Acuglein*, *Ocellus*, primus erat, qui apud *Augustenses* libros procuderet, Hebraicis usus formulis; ut patet ex *Joannis Boeschensteinii* Elementari introductione 1514. 4.

Clausulae praedictae subtexuit *Celtis* epigramma in laudem typographi, qui primus inter Germanos rem musicam notulis aere fusis illustraverit. Incipit:

Inter Germanos nostros fuit Oglin Erhardus.

Neque tandem reticetur in fine, editionis annus, adjectis hisce verbis: *Impressum anno sesquimillesimo et septimo Augustae.*

VII. Postremum hoc in opere locum tenet *Theoderici Ulsenii Phrisii medici, et poetae laureati ad Conradum Celtem carmen*, quo eum praedicat rei musicae longe peritissimum.

Orphea cum sylvis fluvios, et saxa moventem
Graecia Lethaeos fert adiisse lacus.
*Euridicem*que illic vitae renovasse priori,
Servasset stygio si modo pacta Jovi.
Nunc tamen antiquae superat mendacia famae
Protucius sylva natus in *Hercinia.*
Dulcior hic vates cum tangit *Apolline* chordas,
Auditor totis sensibus esse velim.
Tam varium, tam lene melos concordat in unum,
Tam celerem fidibus concitat ille lyram.
Quis vocum numeret modulos, quos psallere doctus,
Exsuperans nostro quidquid in orbe micat.
Orphea non ego tunc *Phoebum* nec cedere credam
Et pisces medio flectere posse mari.
Hunc quoque Cadmeas non tantum ponere Thebas,
Sed trahere e coelo, si velit, astra putes.
Nimirum Caesar meus hunc observat, et ornat,
Quem vix Teutonicis censet habere parem.
Plaudite Musae!

VIII. Imagines duae, insculptae ligno, sunt conjunctae huic operi. *Prima* exhibet *Apollinem*, sub lauro sedentem, ludentemque chely. Cinctus est, latere utroque, figuris variis, mythologiam attinentibus. Conspicitur equus alatus, fons castalius, templum *Minervae*, et *Dianae* in jugis montium. In imaginis parte superiore legitur hexastichon, quod incipit: *Hic tibi Bacche pater etc.*

Imago *altera* repraesentat *Phoebum* cum cithara; in nubibus eminente *Jove.* Phoebi latus stipant *Mercurius*, et *Pallas.* Circumdant *Phoebum*

figurae orbiculares novem; in quibus novem Musae cum suis quaeque instrumentis, conspicuae sunt. In inferiore autem imaginis parte comparent *Celtis* insignia.

Atque haec unica est istius operis editio plena, perfectaque, constans foliis nonnisi decem. Optavit *Denisius*, ut a rei musicae peritis cantarentur indicati hymni ad praescriptas modulationes; palamque facerent, quis gustus hac in re fuerit apud Germanos ante trecentos annos, quidve intersit discriminis hornam inter veteremque musicam.

Prodiit equidem eodem anno 1507, *Augustae Vindelicorum*, ex eadem typographia, editio alia in 4, absoluta foliis 22; sed manca in multis, atque imperfecta. Inscriptio repetitae editionis succinctior haec est: *Harmoniae Petri Tritonii super odis Horatii Flacci.* Desunt in hac mutilata editione *epigrammata Celtis ad Musiphilos, et ad Jordanum, atque ad Erhardum Oglin.* Desiderantur Carmina *Chelidonii*, et *Ulsenii*, una cum imaginibus. Omissum est carmen *Lucani;* nec ulla indicata est *Celtis* Oda. Quare mirum, quo pacto editor hanc ad lectorem potuerit praemittere admonitionem: *Harmonias ante impressas, sive vitio exemplaris, seu alia quadam incuria depravatas integras accipies.* In fine: *Denuo impressae per Erhardum Oglin.* Aug. 1527, 22. Augusti. Haec scripseram: dum in mentem venit, a typographo non fallaci haec dicta esse, aut excusari posse: siquidem in admonitione sermonem duntaxat habuerit de harmoniis depravatis, quas emendaverit. Qua de re viderint musici, quibus facultas est, utramque editionem, quod harmonias attinet, inter se conferendi.

CAPUT XXI.

CONRADI CELTIS PROTUCII
PRIMI IN GERMANIA POETAE CORONATI

LIBRI ODARUM QUATUOR CUM EPODO ET SECULARI CARMINE

DILIGENTER ET ACCURATE IMPRESSI ET HOC PRIMUM TYPO IN STUDIOSORUM EMOLUMENTUM EDITI.

ARGENT. 1513. 4.

....

Equidem testamento sanxerat *Celtis*, ut, quae relinqueret, opera posthuma traderentur vulganda typis *Joanni Rymanno*, Augustensi bibliopolae: at aliter visum est *Celtis* amicis, et ultimae ejus voluntatis exsecutoribus; qui *Leonardo* et *Lucae Alantsae*, fratribus bibliopolis *Viennensibus* id negotii demandarunt. Eaque ratione factum est, ut lyricum hoc *Celtis* opus *Argentinae* ex officina Schureriana, *ductu*, id est sumptibus fratrum *Alantseorum* prodiret in lucem.

CONTENTA:

1) *Joachimi Vadiani* epistola ad *Matthiam Schurerium* eruditum et solertem chalcographum.
2) Varia variorum epigrammata, et carmina, quibus potissimum hoc *Celtis* opus lyricum commendatur.
3) *Thomae Velociani* epistola nuncupatoria ad *Christophorum Rauber*, Laibacensis, et Secovianae ecclesiarum antistitem.
4) *Celtis vita* per sodalitatem litterariam Rhenanam.
5) Opus ipsum; sive Libri IV. Odarum *Celtis*, cum Epodo et carmine seculari.
6) Epistola *Thomae Velociani* ad *Wolfgangum*, abbatem in campis Liliacis, de *Celtis* obitu. Adjunguntur quaedam sodalium carmina et inscriptio sepulchralis.
7) Imagines.

I. Quae operi huic praemittitur *Joach. Vadiani* epistola ad *Argentinensem* typographum adhortationem continet, et censuram. Hortatur *Schurerium*, ut *arte sibi fere peculiari* *Celtis* opus lyricum, *minus cicatricosum, et nativo candori restitutum impensius* excudendum suscipiat. In eo namque et principum laus, et virorum clarorum merita memoria cernetur. Dein vero multis in locis, mirae quaedam in virtutis amorem invitationes, et efficacissimae vitiorum repulsae: naturae quoque insignia, et allegoriae fabularum frugiferae prominent, quae non tam juveniles animos, quam provectioris aetatis, eorumce studiorum cultores adjuvare videntur. Refellens postea eorum expostulationem, qui causantur, Multa *frigide*, et *Latine minus*, *novatisque temere vocabulis* a *Celte* dicta esse, respondet, hoc in omnibus fere scriptoribus ferendum, qui ingenio confisi, vetustis recentia, et inventis jam nunc excogitata subnectere consueverint. Laudandum haud dubie *Celtem* in eo, quod prodesse multis fuerit naviter et cum gloria conatus, palamque confessus, se gaudere, si victus sit, aut vinci possit juniorum industria. Data est haec epistola *Viennae* X. kal. Martias. Anno M. D. XIII.

II. *Vadiani* epistolae adnectuntur sodalium et amicorum carmina plura, quibus tum *Celtis* Odas, tum earum auctorem miris laudibus extulerunt. Eum in numerum veniunt: 1) *Joannes Camers*, Ordinis Minorum, theologiae Professor; 2) *Nicolaus Gerbelius*, Phorcensis; 3) *Theodoricus Ulsenius*, medicus, et poeta laureatus; 4) *Gibertus Barbetta*, Cancellarius Mirandulanus; 5) *Philippus Gundelius*, Bojus; 6) *Joachimus Vadianus*, San-Gallensis; quo nullus est copiosior, aut magis diffusus in sui *Celtis* commendatione; 7) *Sebastianus Murrho*, Colmariensis; quibus 8) adjungendus est *Alexander Brassicanus*, cujus in *Conradum Celtem primum Germaniae nostrae poetam* post *Murrhonis* junioris epigramma, in codice Celticarum Odarum, Argentinae editarum, asservato in bibliotheca Augustae *Viennae*, hoc manu exaratum legitur distichon:

Hic est Germanae per condita climata terrae
Pierias primus qui referavit opes.

Alex. Brass.

III. Sequitur *Thomae Velociani* epistola dedicatoria, inscripta *Christophoro Raubero*, ecclesiae *Laibacensis* et *Secoviensis* episcopo, Sacratissimae Majestatis Caesareo Consiliario. Asserit, se *Conradi Celtis* labores, dies noctesque congestos, ab oblivionis injuria asserere curasse, post ejus obitum. Affirmat, Odas Celticas, chalcographorum manibus emissas, opus esse non aspernandum, neque indignum, quod illustrissimo nomini Ornatissimi Praesulis inscribatur, qui sit omnium bonarum artium, atque scientiarum patronus, amator, decusque amplissimum. Siquid autem eo in opere aliquid occurrerit, haud satis emunctum: id *Celtis* inopinae, immaturaeque morti adscribendum: qui non sine lacrymis opus semilimatum, rude, incastigatumque moriens reliquerit. *Viennae Pannoniae* data est haec epistola XII. Kal. Martias M. D. XIII.

IV. Quae epistolam *nuncupatoriam* excipit *Conradi Celtis* vita, conscripta studio *sodalitatis litterariae Rhenanae*, admodum brevis est, neque satis accurata: veluti suis locis comprobavimus. Secuti tamen nos ipsi eam sumus, siquid habet, quod non adversetur monumentis aliis, fide dignioribus. Quinam fuerint sodales illi litterarii, qui huc operam suam contulerint, haud constat. Aeque est incertum, quo se modo habuerit illa *Celtis vita*, quae quondam habebatur *cum ejus clare dictis*, in codice msc. *Norimbergensi*; ex quo evulsa est, inscriptione relicta. Cum ipse codex, absque controversia, olim fuerit ipsiusmet *Celtis*: consequens est, *vitam Celtis*, ipso adhuc superstite, fuisse conscriptam. Eam *Celtis* biographiam, quae in vulgatis *Argentinae* illius odis obvia est, secuti sunt plerique, qui de *Celte* quidquam mandarunt litteris. *Joannes Fichardus*, quin aliquid adderet, demeretve, inseruit operi: *Virorum superiore, nostroque seculo doctrina illustrium vitae in unum volumen collectae. Francof. 1556. 4.*

V. Praemissis Odarum *indicibus*, comparent *Odae* ipsae, distinctae in libros IV; quos comitatur Liber *Epodon*, una cum *carmine seculari*. Ex odis tres sunt sacrae, profanae reliquae. *Una* ex sacris inscripta est *Divae Dei genitrici* pro pace inter principes Christianos: *altera* vitam et miracula enarrat sanctae *Waldburgis*: *tertia* exhibet vitam *S. Sebaldi*. Ex Odis sunt plures, quae jam ante vulgatae typis fuerant; velut ex Lib. I. Ode XI. ad

Sigismundum Fusilium; quae occurrit in *Panegyri* ad duces Bavariae. XIX. XX. XXI. in *Epitoma Rhetorices*. XXVIII. ad *Bohusl. de Hassenstein* in *Rhapsodia*.

Ex Lib. II. lucem publicam jam viderant Ode II. ad coelum Hungarorum; in *Epit. Rhet.* Ex Lib. III. Ode X. de vita *S. Sebaldi*; in Libris Amorum; ac jam antea: ut indicavimus supra: XXVIII. ad *Joannem Trithemium*, quae *Norimbergae* anno 1501 fuit edita, a *Joanne Stabio*, atque adjuncta *Cratis* Thebani epistolis.

Ex Lib. IV. Ode V. ad Apollinem in *arte versificandi*; adjuncta etiam est Orationi *Cassandrae* an. 1487. 4.

Aliae ex Odis Celticis post editionem Argentinensem an. 1513 iterato fuerunt expositae luci. Sic Oden Hodoeporicam Lib. I. Od. XIV. *Reusnerus* inseruit suis *Hodoeporicis*; sed mutilam. Idem fere dicendum est de Ode XXV. Lib. III. quae est ad *Udalr. Zasium*; ex qua non adducit *Reusnerus*, nisi strophas tres. *Reusnerum* secutus est *Rieggerus* in vita *Zasii*. Carmen seculare intulit *Fabricius* Deliciis Germanorum Poetarum.

VI. Carmini seculari subjicitur epistola *Thomae Velociani*, theologi, et poetae, cathedralis ecclesiae *Viennensis* canonici, ad Wolfgangum almi cœnobii Druidarum in campis *Liliacis* Abbatem. Significat per has litteras *Velocianus*, quod nosse abbas concupiverat, Celtem videlicet *pie, et christianissime* esse mortuum; atque solemni pompa funebri, comitante universa academia, tumulo esse illatum. Qua de re egimus abunde I. Lib.

Quae epistolae *Velociani* huic adjunguntur *epicedia in Busta* Celtis, auctores praeferunt *Thomam Velocianum*, *Joannem Cuspinianum*, et *Joannem Camertem*. Haec inter epitaphia exhibetur quoque lapidis sepulchralis inscriptio; quam alibi jam adduximus.

Opus demum claudunt verba haec: *Argentorati ex officina Schureriana, ductu Leonardi et Lucae Alantsee fratrum. Anno M. D. XIII. Mense Maio. Regnante Imperatore Caesare Maximiliano P. F. Aug.*

VII. *Imagines* duae ornant hanc editionem. *Prima* exhibet Celtem scribentem, coram positis libris, qui nomina praeferunt veterum poetarum, cujusmodi sunt: *Ovidius*, *Virgilius*, *Horatius*, *Persius*, *Silius*, *Statius*. Imaginis

utrumque latus occupant Dii, Deaeque: *Mercurius*, *Hercules*, *Phoebus*, *Bacchus*, *Minerva*, *Cytherea*. Fonti Musarum superemineut *Celtis* insignia; adscripto tum *Thaliae* lemmate: *Labores aeternabo;* tum *Clius: Virtutis praemium cano.*

Imago *altera* repraesentat *Celtem mortuum*, incumbentem libris, brachiis, manibusque fractis; velut indicavimus Lib. I. Id solummodo hic adnotamus, hanc effigiem non reperiri in omnibus Celticarum Odarum exemplaribus. Deest sane in exemplari, quod servat bibliotheca Academiae *Friburgensis*. Desideratur pariter in exemplari bibliothecae Academiae *Heidelbergensis;* quemadmodum in eo, qui est ad usus meos.

Facessivit haec editio suis editoribus molestiam. Visa est sibi Facultas Theologica *Viennensis* academiae invenisse in carminibus his *Celticis*, quae cum puritate fidei, et morum sanctitate haud recte consentirent. Habitis eam ob rem consultationibus iteratis, vocati sunt in jus fratres *Alantse Leonardus* et *Lucas*. Rogati, qua adducti causa, cujus hortatu, interventu, aut *instantia Celtis* hoc opus lyricum, typis excudendum curaverint; quod lasciva, ac fidei catholicae contraria dogmata contineret. Responderunt bibliopolae, bono animo adiisse et peregisse, quidquid id est negotii. Dictum opus se accepisse *ex libraria Facultatis Artium*, *per manus Magistri Thomae Resch;* neque se dubitasse, antequam editionem curarent, probatum illud esse ac emendatum per doctos et peritos viros.

Thomae Velociano sive *Reschio* cum proponeretur a theologica Facultate, esse in Odis *Celticis*, quae videantur *bonarum aurium offensiva, scandalosa, impia, erronea, et haeresin sapientia;* respondit, nunquam sibi fuisse in animo, ut vellet esse vel auctor, vel adjutor eorum, quae sunt noxia probitati vitae, aut opposita catholicae ecclesiae dogmatis. Neque se opinatum unquam eam doctrinae pravitatem in *Celtis* opusculis reperiri. Addidit, poetarum verba ad vivum resecanda non esse: nisi velimus efficere tot idolatras, quot dantur vates, qui Jovem, Phœbum, Mercurium, deosque gentilium alios carminibus suis celebrant, aut invocant: hunc ad modum etiam *Celtis* versus compositos esse. Propētereaque minime se dubitasse, quo minus eosdem bibliopolis commendaret, atque typographis typis vulgandos; maxime, quod *Celtis* ipse *castigatorium errorum confecisset*. Tandem spopondit, operam

se daturum, ut relectis Odis, ea, quae offendere dicuntur, corrigantur: *si quidem fieri posset citra Executorum dicti Celtis infamiam.* Quae huc usque attulimus, hausta sunt ex actis msc. Facultatis theologicae Vien. ad an. 1514, Tom. III. fol. 31, seq.

Quis tandem totius controversiae fuerit exitus, in actis nullibi adnotatum invenitur. Videtur itaque, ut solet, cum tempore accusantium calor deferbuisse; hocque modo lis omnis aut sopita, aut extincta.

C A P U T XXII.

CONR. CELTIS EPIGRAMMATUM LIBRI V.

Testatus est *Joannes Trithemius* in catalogo virorum illustrium an. 1459, quo hunc elenchum contexuit, scripsisse *Celtem Libros quatuor carminum, seu epigrammaton;* quos una cum aliis ejusdem opusculis in lucem suo tempore venturos esse praenuntiavit. *Celtis* ipse suorum epigrammatum meminit in praefatione, seu Panegyrici parte prima, quam praefixit libris Amorum; promisitque Panegyrici partem tertiam breve post tempus se exhibiturum esse in opere *Centepigrammaton.* In epitaphio autem, quod vivens ipse sibi posuit, inter libros, quibus incumbens conspicitur, occurrit codex inscriptus: *Epigram. Lib. 8.* Sodalitas demum litteraria in ejus vita *Epigrammatum libros quinque* inter *Celtis* opera commemorat.

Fere desperaveram de *Celtis* epigrammatis, postquam apud *Vindobonenses,* quibus opes suas litterarias reliquit *Celtis,* non reperiri compereram; ratus esse in deperditis. Bonis avibus venit ad me epistola, per quam illustris *Murrius* mihi significavit, in *Norimbergensis* reipublicae bibliotheca codicem asservari, msc., qui omnia *Celtis* poemata complectatur, ac nominatim quinque epigrammatum libros. Qua hunc animum voluptate affecerit ejusmodi nuntium, vix verbis exprimam. Ut codex ad me perferretur,

inspiciendus, permittendusque meis usibus, curavit idem praeclarissimus vir pro sua humanitate, singularique gratificandi studio, quo fertur in litteras ac litteratos. Pro quo officii genere publicas, quemadmodum decet, gratias hoc loco dictas velim.

Quo se modo habeat iste codex, paucis indicatum imus: Chartaceus est, oblongus, exaratus *in folio*, at pro longitudine haud satis latus. Complectitur *Celtis* libros quatuor Odarum; libros IV Amorum; et libros V Epigrammatum. Possessor codicis erat quondam *Celtis* ipse. Refert initio *Celtis* insignia, appositis supra verbis solitis: *Con. Celtis Pro. poete sum.* Infra insignia leguntur haec Graeca: παρέςω φρονησις. Quibus litterarum ductibus scriptus sit codex, exemplo aeri inciso ostendit Cl. *Murrius*. Desumptum illud est ex Lib. I. Od. I. ejusdemque initio:

Caesar magnificis laudibus inclytus
Rex regum et dominus, maxime principum
Siquis prisca tuis tempora seculis.

Quae quidem referuntur *Tabula VI* Parte I. *Memorabilium Bibliothecae Norimbergensis publicae.* Consentire autem celeb. *Murrio* neutiquam possumus; dum pag. 14, l. c. affirmat, esse *Celtis autographum.* Quodsi enim eos litterarum ductus quibus usus est *Celtis* in cod. msc. epistolari, cui plura manu sua allevit, conferamus cum codice *Norimbergensi*, palam est, emendationes quidem in margine potissimum occurrentes, e *Celtis* manu profectas esse; non scripturam reliquam.

Odae et *Elegiae* codicis *Norici* cum vulgatis editionibus cum conferrem: comperi, et has, et illas cum editionibus typo excusis, haud satis congruere, quod multiplex lectionum varietas manifeste prodit. Quibus accedit, quod carmina non pauca, multis saepe versibus auctiora compareant in editionibus, quae prelo exierunt. Unde consequens est, *Celtis Odas et Elegias*, in vulgus emissas, exactas non fuisse ad illud exemplar *Norimbergensis* codicis.

Epigrammata quod attinet; quorum gratia codicem praecipue expetendum duximus: distincta sunt in *libros quinque;* dedicata *sodalitatibus quatuor Germaniae litterariis; Rhenanae* nimirum, *Vistulanae*, *Danubianae*, et *Codaneae*. Huc spectat Lib. I. epigr. I., quod hac ratione inscriptum, contextumque est:

Ad quatuor sodalitates litterarias Germaniae, ut sub tutela illarum libri sui evolent.

Quatuor Almannis quicunque habitatis in oris,
Jure sodalitio qui mihi fertis opem,
Seu vos *Rhenus* alat, seu *Vistula Danubius*ve
Sive *Codaneis* ora lavatis aquis:
Vos, precor, hos nostros placida cum fronte libellos
Aspicite, et nostras volvite saepe lyras.
Quidquid Germanis olim conspeximus oris,
Lusimus his nostris, docta caterva, libris:
Sive joci fuerant, seu seria commoda rebus;
Sive quod ad Bacchum turba profana serit
Hoc modo nostra canunt epigrammata scripta, sodales!
Illa volent vestro nomine tuta, rogo.

Continet Liber Imus epigrammat. 90. IIdus 96. IIItius 115. IVtus 94. Vtus 55; imperfectus, posterioribus epigrammatis, alia manu, haud satis culte exaratis. Sunt ea carmina, ut epigrammata solent varii argumenti. Nonnulla sacra sunt, inscriptaque Divis; profana pleraque, dicata amicis et sodalibus. Nec desunt, quibus petuntur adversarii, et lacessuntur. Inserta quoque sunt, de quorum veritate merito dubitatur; ut illud est de *Joanna Papissa;* atque aliud *de cranio hominis*, reperto in Orientali Francia, quod tres frumenti modios capiat.

Quae poterant esse offendiculo, aut officere probitati morum, in editione, quam in *Appendice* exhibituri sumus, omittenda putavimus; eorumque loco subrogavimus alia, quae innoxia viderentur, aut essent utiliora. *) Cavimus autem, ut ne alia sufficeremus, quam quae essent *Celtis*, ex aliis ejusdem opusculis deprompta, locis diligenter indicatis. Neque adversus ingenui, candidique editoris officium nos peccasse arbitramur: siquidem *Celti* non supposuerimus aliena; sed reddiderimus sua. Qui si superstes esset, non censeretur improbaturus, quod egimus; tum quod ipse e suis libellis, *Oeconomia* potissimum et *Panegyri* ad duces Bavariae carmina plura

*) Jam supra significatum est, *Appendicem* huic operi nunc quidem non subnecti. Haec tamen epigrammata si quando prodibunt, quod sedulo curabimus, haud scio an non alias leges, quam quas optimus vir sibi hoc loco scripsit, in edendo sequamur. Z.

in libros epigrammatum transtulerit; tum quod testamento sanxerit, ea ut expungerentur in scriptis a se relictis, siquando edenda essent, quae nocerent famae aliorum; quidni et integritati morum?

Liber *quintus*, cum sit imperfectus, ut mole sua, aut carminum numero non tantopere dissideret a libris, qui praecesserant, curavimus ut augmentis additis cresceret, ac efficeretur ceteris similior. Hausimus autem id genus additamenta non aliunde, ac ex *Celtico* fonte. Neque penuria est litterariarum hujusmodi opum apud *Celtem*. Suppetunt sane non pauca, quae huc referri queant in ejus opusculis; occurrunt multa apud alios, quae *Celtem* habent auctorem epigrammata, quin compareant in ejus quinque epigrammatum libris, quos reliquit. Plura *Celtis* vaga id genus poematia collegit, ediditque *Petrus Bonomus*, episcopus *Tergestinus*, Aug. Vind. anno 1518. Plura pariter continentur in codice msc. bibliothecae academiae *Oenipontanae*, a *Celte* dicata *Joanni Fuxmagenio*, senatori Caesareo, quae pro sua humanitate mecum communicavit *Wikoschius*, biblioth. Neque dubium est, longe plura *Celtis* id genus lipsana esse in deperditis; potissimum epitaphia, quorum saepe fit mentio in cod. epistolari msc. quin ullibi appareant.

Quaerenti tandem, quid sit statuendum de epigrammatico hoc *Celtis* opere respondemus paucis: esse in eo, bona, mala, et mediocria multa. Fore absque controversia limatius, tersius, perfectiusque ultimam si manum auctor potuisset imponere fatis prohibitus. Quodsi in epigrammatibus lepide, breviter, arguteque concludendis summa vis est, et elegantia: fateri oportet, haud multa esse, quae hunc in censum merito venient. At neque omnia *Persii*, *Juvenalis*, *Martialis*, multo minus *Ausonii*, quam videtur *Celtis* imitatus, iisce dotibus praedita sunt. Quodsi laudandum non est *Celtis* opus, tanquam numeris omnibus absolutum; saltem non est carpendum immodice. Ut judicium sit aequum, fas est, rationem habere temporum, quibus auctor vixit, scripsit, floruit. Quodsi reputamus animo, quae barbaries tum aetatis Germaniam occupaverit: quibus cum monstris *Celti* luctandum fuerit, quin unquam desponderet animum: quanta constantia omnis generis difficultates superaverit, in provehendis optimarum litterarum studiis: mitius de laboribus ejus litterariis sentiemus, maxime,

dum ipsemet propriae imbecillitatis haud immemor, veniam petiverit erratorum; scripseritque, primum se fuisse, qui apud Germanos invexerit artem poeticam; concepta spe, surrecturos esse alios, qui aliquando meliora proferant. Ita canebat *Lib. Epod.* Od. XII.

Sed neque ego Latios me dicam aequasse poetas;
Aut docta quos tulit viros Hispania.
Primus ego invexi rudibus mea carmina verbis,
Qui me sequentur doctiora proferent.

CAPUT XXIII.

INSTITUTIO GRAMMATICAE GRAECAE. Msc.

De *Grammatica Graeca* Celtis, pauca habeo, quae referam. Asservari hujus Grammaticae msc. aliquod exemplar chartaceum in fol. in bibliotheca *Lunelacensis cœnobii (Monsee)* Ordinis *S. Benedicti* in Austria inscriptum: *Institutio Grammaticae Graecae, a Conrado Protucio* Celte, *Viennae* tradita, testis est *Schierius* p. 33. Comment. de primis Vindobonae typographis. Exemplar aliud msc., exaratum in membrana, servari in bibliotheca Augusta *Vindobonensi*, illuc translatum e bibliotheca Academica, ostendit eo de codice adornata per *M. Denisium* recensio. Praefert codex iste Graecam hanc inscriptionem: Ἐρωτήματα μικρὰ ὀφελιμότατα τȣ κονραδȣ κελτȣ γερμανȣ. *Quae de Lascaris, et aliorum doctorum virorum e majori volumine in minus contracta sunt.* Ex quibus apparet, unde Celtis Graeca haec elementa hauserit, contraxeritve.

Agens de octo partibus orationis, paradigmata proponit, additque significatum, et observationes Latinas. Quo anno conscriptus sit codex, et cujus amanuensis opera sit absolutus, adjecta ad calcem operis haec verba produnt: γεγραμμένον διὰ μȣ Ἰωάννȣ ῥοστινβεργερ ἔτει 1500 seculari.

20 *

In eo quidem erat *Celtis*, ut *Grammaticam* hanc Graecam, una cum *vocabulario*, emittere in vulgus vellet. Egerat ea de re cum *Aldo Manutio.* At typographus hic Venetus suscipere id negotii recusavit; causatus, id genus institutiones, queis ad perdiscendas Graecas litteras juventus informaretur, abunde suppetere. Quodsi meminisset *Celtis*, ab *Aldo* haud ita pridem Graeci sermonis elementa exposita fuisse luci; non efflagitasset, ut similis argumenti opus suis typis, sumptibusque rursus proferret, conjunctum cum periculo dispendii: maxime cum *Aldus*, qui quam confecerat Grammaticam Graecam, *Celti* an. 1498 dono miserat, adjecerit preces, ut eandem Graecae litteraturae studiosis commendaret. Haec quidem ex *Aldi* ad *Celtem* litteris, an. 1498, 1501 et 1502 servatis in cod. msc. epist., edocti sumus. Hunc enim in modum die 3. Sept. 1501 rescripsit *Aldus: Institutiones Graecas et Dictionarium remittimus: quia multa jam impressa habentur, quibus erudiantur, qui Graecas litteras discere concupiscunt.*

Quo loco litteratura Graeca fuerit tempore *Celtis*, vel inde colligas; quod *alphabetum Graecum Libris Amorum* attexuerit, tradideritque, qua ratione litterae legendae sint, pronuntiandaeve; apposito versiculo: *Si Graecum nescis: haec elementa notes.*

Quanto studio contenderit *Celtis* Graecas etiam litteras apud Germanos instaurare, et propagare latius, multa demonstrant. A *Menckenio*, ut Cap. I. §. IX. adnotavimus, annumeratur *Celtis* restauratoribus *Graecarum* litterarum in *Misnia.* *Joannes Trithemius* palam profitetur, se didicisse Graeci sermonis elementa praeceptore *Celte.* Ejusdem linguae institutiones tradidit Filiis principis, *Philippi* Comitis Palatini. In epistola ad *Maximilianum* Imp. profitetur, se *Graecae Grammatices rudimenta, quae pernecessaria homini Latino sunt*, collegii poetici alumnis *aperuisse.* Quare absque arrogantia dictum putamus id, quod Lib. IV. Epigr XLVIII. de se pronuntiavit Graecis, Latinisque versiculis. Reddimus Latinos ipso *Celte* interprete:

Germano Celtis de sanguine forte poeta
Graecorum linguam protulit in patriam.
